in Deâ Syriâ refert, more olim receptum, ut quotannis in-
niis, in Adonidis ab apro icti memoriam repetitis, singuli se plecterent
et lamentarentur, & diem celebrarent, et magnum luctum in suâ re-
gione per id tempus ducerent, primùm quidem, ubi se satis percuss[…]
Adonidi inferias persolventes, tanquam vitâ defuncto, altero d[…]
de die ipsum vivere inquientes, inque cœlum mittentes: tantò magi[s]
omninò nobis Christianis incumbit, non per unum, sed per plures di[es]
quotannis memoriam non ab apro occisi Adonidis alicujus, qui eximi[æ]
pulcritudinis Juvenis fuerat, sed passi, crucifixi ac mortui JESU Chr[isti]
qui formosissimus inter Filios hominum erat, inter lachrymas et suspiria
magnoque cum luctu recolere. Et quidni acerbissimæ Passionis ac Morti[s]
Jesu Christi, Servatoris nostri unici memoriam recoleremus? Est, est n[am]
annua hæc Passionalium repetitio (modò nomen illud, quo quidem in sola-
tiumne dicam, et officium nostrum sumus insigniti, accuratius paulò exc[u]-
tiamus) non tantùm decora; sed et mira foecunditate tantos pari[t]
fructus: ut, quamvis cogitationum nostrarum imbecillitate assequi illos h[aud]
quaquam valeamus; ex assiduâ tamen recordatione novos novosque fru[ctus]
cum maximo salutis nostræ incremento indies nobis emergere cognoscam[us].
Certè, si in civilibus ex alienis periculis prudentiam nobis concilia[re]
fas est & utile, indeque & felix, Tibullò Autore, æstimatur,

— quicunque dolore
Alterius ducit posse carere suo:

cur non multò magis in spiritualibus e magni illius Ovium Pastoris e[x]-
emplo fructum aliquem spiritualem decerperemus: quo & ad veram Pieta-
tem, et ad seriam peccati agnitionem et contritionem (quippe quod n[on]
nisi sanguine Filii Dei expiari potuit) & ad Christianam in advers[is]
patientiam, et ad virtuosam magni illius Exempli imitationem, & a[d]
salutarem fidei exercitationem atque applicationem, & ad ferventem
Christianæ charitatis exertionem extimulemur? Apposite sanè optim[æ]
devotionis et obsequii ardore flagrans pronunciavit Antiquitas:
Omnia nos Christi vita docere potest. Quid si et ego à Veterum
verbis non longe recedens dixerim: Omnia nos Christi ~~vita~~ Passio docer[e]
potest? Ita enim planè mihi persuasum habeo, Auditores, quod, qu[em]-
admodum tota Christi vita omnia nos doceat, ita ejus potissimum
Passio illa ipsa norma sit ac regula, ad quam totum vitæ nostræ cur[sum]
formare ac conformare debeamus. Quum itaque omninò, rebus
sic stantibus, in mentem hæc nuper, Auditores Venerandi, revocare[m]
moremque istunc pium, morem laudabilem, morem verè Christianum c[um]
ab omnibus, tum à studiosâ præprimis Juventute usurpandum